



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Lavrentii Coenobium, apud muros vrbis Leodicensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

## S. LAURENTII

*Cænobium, apud muros vr̄bis Leodicensis.*

**D**E huius cænobij institutione ita Sigebertus Gemblacensis in Chronico: Anno CIO. XXV. Ragiginardus Leodicensium ordinatur Episcopus, qui Leodij in monte publico cænobium S. Laurentij instituit, eiq; Stephanum Abbatem primum præfecit. Longè tamen vetustius esse hoc cænobium patet ex historia vita Notgeri Leodicensis Episcopi, quam ex tabula membranæ, ad D. Ioannis Euangelistæ Leodici pendente, descriptam, in suo Itinerario Belgico edidit Abrahamus Ortelius. In ea autem sic legitur: Eraclius fundamenta monasterij B. Laurentij, iuxta muros Leodienses, iecit. Itaque seriatim fiebat opus, iamque ex parte surrexerant à fundamento murorum parietes. Opus itaque inceptum per Eraclium, eo defuncto permansit imperfectum, donec Notgerus, qui successit, Episcopus, æquatis tamen parietibus murorum, tectum superponi fecit. Est itaque cænobium hoc primùm ab Heraclio

An. 960.

(qui anno circiter nongentesimo sexagesimo creatus Episcopus, obiit an. nongentesimo septuagesimo primo) inchoatum; post à Notgero, qui Heraclio immediatè in Episcopatu succedens anno millesimo septimo obiit, auctum; à Guolbode item Episcopo adificijs exornatum ( vt alibi

me le-

me legere memini ) ac demùm à Raginardo perfectum absolutumq̄. Obijt autem Notgerus anno Christi millesimo septimo, Raginardus verò anno millesimo tricésimo sexto,

Manuscriptum porro Chronicon Leodicense notat Stephanum, quem Viridunensem nominat, à Raginardo Episcopo, ad preces Hermanni Comititis, et post monachi S. Vereni, Abbatem primum fuisse creatum, eumq̄, nemora propter latronum insidias succidisse, et annis tribus ac viginti præfuisse.

### FLORINENSE

Monasterium, in finibus agri Leodicensis, sesquimillari à Philippopoli, Hannonia opido situm.

**C**Ameracenses inter Episcopos Gerardus, eo nomine primus, enituit, qui apud Florinas patre Arnulfo, viro nobilissimo, eiusq̄, tractus Domino natus, Florinense istud cœnobium, in honorem S. Ioannis Bapt. suo ære construxit. De quo Chronographus Cameracensis: Gerardi, inquit, Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reuerentia siquidē loci, quo natus fuerat, imò & pro salute animæ patris, & monasterium S. Gulgulfi quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, & alterum S. Ioannis, ex rebus suis & fratrum suorum, non tam pulchra ædificiorū, quàm forti operositate fundauit. Sed hoc qui-

dem

Lib. 3.

De S. Gulgulfo, seu Gengulfo vide Molanum in Natal. SS. Belgij Maij XJ.